INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCXLIX A DIE XVI APRILIS

INSTITUENDARUM.

BRUNSBERGAE,
TYPIS HEYNIANIS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Probe scitis, Commilitones carissimi, neminem unquam vehementius impugnatum esse ab ecclesiae catholicae hostibus, quam successores Petri atque Christi vicarios. Eo enim toto pectore tendebant omnes, ut papatus tolleretur e medio, ob hoc maxime, ut gubernatore sublato atrocius atque violentius grassari possent circa ecclesiae naufragia. Attamen protegente sedem hanc apostolicam Numine divino frustra semper pugnabant, quum sit petra, quam non vincunt inferorum portae. [1]) Tantum est privilegium Romanae sedi a Salvatore datum! Nam etsi ab aliis peccatis non semper immunes fuerint Romani Pontifices, obtinuit tamen venerabilis et efficax oratio Christi, [2]) ut hactenus fides Petri non defecerit. Nunquam adversus hanc sedem haereses ullae praevaluere, nec deinceps, ut speramus, per Dei misericordiam praevalebunt. Scimus errasse, qui Jacobo Hierosolymis, qui Andreae in Achaja, qui Matthaeo in Aethiopia, qui Philippo in Phrygia, qui Joanni in Asia, qui Bartholomaeo in India, qui Judae in Perside, qui Paulo successerunt in Graecia. Sola est Romana ecclesia, ad quam nunquam accessum habuisse haeresim constat.

Recensentur quidem a nonnullis, qui, cum in cathedra Petri sedissent, in fidem ejus non successisse, nec ab haeresi dicantur alieni fuisse; verum falso notam hanc eis inuri dubitandum non est. Inter quos Liberius quoque Papa numeratur, de quo paucis hic disserere nobis proposuimus. Negari quidem de eo non potest, sparsum fuisse rumorem, quod is in Constantii Imperatoris gratiam Arianorum errori subscripserit. Verum id Arianorum commentum fuisse dubium non est, qui ad confirmandam haeresim suam plurimum id momenti allaturum intelligebant, si tantus ei Pontifex subscripsisse crederetur. Certe qui scripserunt ecclesiasticam historiam, quamvis Graeci et hoc nomine Romanis Pontificibus minus aequi, nullam subscriptionis ejus faciunt mentionem.

Socrates quidem hac de re nihil nisi illud nobis refert: Liberium, episcopum Romanum, simulac se fidei Arianorum assentiri denegasset, in exilium esse ejectum, haud vero multo post ab exilio revocatum, sedem episcopatus propterea recuperasse, quod populus Romanus seditione conflata Felicem Pseudo-Papam ecclesia expulisset, et Imperator, licet invitus, assensum illis praebuisset. [3]) E voce invitus (*παρὰ γνώμην*) haud obscure colligere licet, nequaquam subscripsisse Liberium formulae Arianorum. An autem invitus consensisset Imperator, si, quod unum tanto studio

---

[1]) Matth. XVI, 18. — [2]) Luc. XXII, 32. — [3]) Socrat. H. E. II, 37: „*Λιβέριος ὁ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος, παραιτησάμενος ἐκείνῃ τῇ πίστει συνθέσθαι, ἐξόριστος γίνεται... Ὁ Λιβέριος μὲν οὖν μικρὸν ὕστερον τῆς ἐξορίας ἀνακληθεὶς τὸν οἰκεῖον θρόνον ἀπέλαβε, τοῦ ἐν Ῥώμῃ λαοῦ στασιάσαντος καὶ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλοντος τὸν Φίληκα, ὅτε βασιλεὺς καὶ παρὰ γνώμην τούτοις ἐγένετο σύμψηφος.*“ —

ab eo extorquere conabatur, Liberius ipsius voluntati de subscribendo assensum praebuisset: cum non alia fuerit causa, quamobrem exilio multaretur, nisi quod id facere recusabat? — Porro Theodoretus, in historia ecclesiastica optime versatus, non modo nihil de subscriptione meminit, verum etiam dialogum quendam recenset inter Constantium Imperatorem et Liberium Papam habitum, in quo cum Liberio Constantius omnibus modis persuadere conaretur, ut Athanasii damnationi subscriberet, nequaquam id ab eo potuit obtinere, cumque trium dierum spatium ad deliberandum ei concessisset, ut aut subscribendo Romam rediret, aut statueret, quem in locum deportari vellet, respondit Liberius: „Spatium trium dierum mutare mentem non potest. Quare mitte me, quo voles.“ [4]) Biduo post haec Imperator, examinatum Liberium consiliumque non mutantem in Beroeam Thraciae relegari jussit, cumque misissent ei et Imperator et Imperatrix 1000 aureos in sumptum, recusavit et in Thraciam se contulit. Biennio vero elapso Constantius Romam proficiscitur, ubi nobiles matronae supplices ab eo petunt, ut eis pastorem restituat, quod quamvis gravatim, concessit ille tamen ea sub conditione, ut Liberius et Felix communi opera ecclesiam gubernarent. Lectis autem Constantii litteris in unam vocem omnes fideles pariter erupisse refert Theodoretus: „Unus Deus, unus Christus, unus episcopus.“ Posthaec Liberium Romam rediisse, Felicem vero regressum in alia civitate sedem fixisse. [5]) — Sozomenus vero rem ita narrat: Constantius Liberio episcopo Romano ad se accersito persuadere conatur, ut sententiae episcoporum, quos circa se habebat, assentiretur, et Athanasii condemnationi subscriberet; cum vero refragaretur constanterque affirmaret, se nunquam illud facturum, jussit eum Beroeam usque, quod est oppidum Thraciae, relegari. Facit idem etiam dialogi mentionem, quem habuit cum Constantio deque muneribus repudiatis. [6]) Alio quidem loco [7]) narrat, consensisse Liberium formulae cuidam vocabulo „consubstantialis“ carenti ideoque Romam redeundi veniam impetrasse, sed et per singularem confessionem ab ipso editam eos, qui Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab ecclesia pronuntiasse, propterea maxime, quod Aëtiani sparsis rumoribus divulgassent, consubstantialis quoque vocabulum ipsum condemnasse et Filium Patri dissimilem confiteri. Attamen ita se habuisse rem, dubitare certe licet, quum Sozomenus, ut satis notum, minori sit fide, Socrates autem et Theodoretus, auctores gravitate et constantia longe majores fideque digniores, nullam ejus rei mentionem faciant.

Sunt quidem (ne quid scientes tegamus silentio) iidemque Patres sancti, qui subscripsisse Liberium dicant, Hieronymus videlicet atque Athanasius; nulli autem dubitamus, quin viros illos in errore esse versatos affirmemus. Nam fieri potest, ut, quem de Liberio rumorem falso sparsum fuisse scribit Sozomenus, [8]) quasi reprobasset *ὁμοούσιον*, perlatus is ad Hieronymum quoque fuerit. Ex quo factum est, ut scriberet is, Liberium a Fortunatiano sollicitatum ac fractum et ad subscriptionem

[4]) Theodoret. H. E. II, 13. Opp. ed. Schulz. Tom. III. p. 869: „*Τὸ τῶν τριῶν ἡμερῶν διάστημα οὐ μετατίθησι λογισμόν. Ὅθεν, ὅπου βούλει, ἀπόστειλόν με.*“ — [5]) Theodoret. H. E. II, 14. Opp. ed. Schulz. Tom. III. p. 870—871. — [6]) Sozomen. H. E. IV, 11. — [7]) Sozomen. H. E. IV. 15. — [8]) Sozomen. H. E. IV, 15. —

haereseos compulsum esse. [9] — Simile quiddam evenisse potuit Athanasio quoque, ad quem et ipsum hac de re falsus rumor pervenisse videtur, propterea confictus ab Arianis, quo et ipse facilius adduci posset, ut *ὁμοούσιον* reprobaret, cum id a tanto Pontifice factum accepisset. Quae causa fuit illi scribendi, Liberium post exactum in exilio biennium esse inflexum minisque mortis ad subscriptionem adductum.[10] Quare quidquid ea de re scribant vel Hieronymus vel ante eum Athanasius, quandoquidem id parum certo rumore cognoverunt, cum varie rem a variis narratam fuisse constet, majus merito pondus eorum habere debent testimonia, qui cum temporis illius res gestas litteris mandarent, diligentius omnia sunt explorare conati. Certe Augustinus in catalogo episcoporum Romanorum, quem recenset, etiam Liberii meminit, [11] quod nequaquam fecisset, si, quod haeresi Arianae subscripserit, certo constitisset. Dixisset autem Ambrosius: „Tempus est, soror sancta, ea quae mecum conferre soles, beatae memoriae Liberii praecepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior,“ [12] si, quod haeresi subscripserit, exploratum habuisset?

Verum demus factum esse, quod rumore falso, ut verisimile est, tum spargebatur, quod inductus fuerit ad subscriptionem, certe factum hoc ipse excusat Athanasius. „Illud ipsum, inquit, cum violentiam eorum, tum Liberii in haeresim illam odium ejusque pro Athanasio suffragium, quamdiu scilicet libere arbitrioque suo agere licuit, satis comprobat. Nam quae tormentorum vi contra priorem sententiam eliciuntur, ea jam non reformidantium, sed vexantium sunt placita.“[13] Negat igitur Athanasius, Liberii, sed eorum, qui coëgerunt, in subscribendo consensionem fuisse, ita ut, si maxime verus fuisset rumor hic, qui confictus de eo fuisse videtur, non alio tamen loco haberi oportuerit propterea Liberium, quam quo Petrum Apostolum, qui Christum negavit, nec ei crimen haereseos ulla ratione impingi potuerit, cum haereticus is proprie dicatur, qui suo ipsius judicio condemnatus, sua sponte seipsum ejicit ab ecclesia, nec eam audire dignatur, quod se rectius, quam universam illam, sapere persuasum habet. Idem enim est *αἵρεσις* graece, quod electio latine. Quamobrem is dicitur haereticus, qui sibi novum doctrinae genus aliquod eligit, qui singulares quasdam opiniones a communi totius ecclesiae sensu et consensu discrepantes adfert ac pertinaciter tuetur. Ubi vero non est electio voluntaria, sed metu quis adigitur, ibi proprie haeresis esse dici non potest.

Quae cum ita sint, nemo unquam vere dicere poterit, Liberium haeresi Arianae addictum ipsumque Arianum fuisse.

---

9) Hieronym. de vir. illustr. c. 97. — 10) Athanas. hist. Arianor. ad Monachos c. 41: „*Ὁ δὲ Λιβέριος ἐξορισθεὶς, ὕστερον μετὰ διετῆ χρόνον ὤκλασε, καὶ φοβηθεὶς τὸν ἀπειλούμενον θάνατον ὑπέγραψεν.*“ Cf. etiam Apolog. contra Arianos c. 89., ubi Liberium exilii aerumnas ad finem usque non tolerasse refert. — 11) Augustin. ep. 165. Opp. ed. Lugd. 1664. Tom. II. p. 242. — 12) Ambros. de virginib. libr. III, init. Opp. ed. Paris. 1661. Tom. IV. col. 473. — 13) Athanas. hist. Arianor. ad Monach. c. 41.: „*Ἀλλα καὶ τοῦτο δείκνυσιν ἐκείνων μὲν τὴν βίαν, Λιβερίου δὲ τὸ κατὰ τῆς αἱρέσεως μίσος, καὶ τὴν ὑπὲρ Ἀθανασίου ψῆφον, ὅτε τὴν προαίρεσιν εἶχεν ἐλευθέραν. Τὰ γὰρ ἐκ βασάνων παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γνώμην γιγνόμενα, ταῦτα οὐ τῶν φοβηθέντων, ἀλλὰ τῶν βασανιζόντων ἐστι βουλήματα.*“

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

PETR. THEOD. SCHWANN, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. De Deo et divinis attributis dissereṭ diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. VI—VII.

II. Doctrinam christianam de creatione et gubernatione mundi, de statu hominis originario, de peccato primorum parentum ejusque in posteros propagatione tractabit diebus Lunae, Martis et Mercurii h. X—XI.

III. De SS. Sacramentis disserere perget d. Veneris h. X—XI.

IV. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituet d. Saturni h. X—XI.

ANTON. EICHHORN, Dr. P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam primi aevi narrare perget diebus Lunae, Martis et Jovis h. III—IV.

II. Jus canonicum tradet singulis per hebdomadem diebus h. IX—X.

FRANCISCUS BITTNER, Dr. P. P. O.

I. Theologiam moralem docebit diebus quaternis prioribus hora XI—XII.

II. S. Joannis Evangelium interpretabitur diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora VIII—IX et die Saturni hora XI—XII.

MICH. JOS. KRÜGER, Lic. P. P. E. Des.

I. De antiquitatibus Hebraeorum sacris disseret diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. X—XI.

II. Obadiae, Jonae, Michae vaticinia interpretabitur die Saturni h. VIII—IX.

III. Evangelium Marci cum reliquis evangeliis synopticis collatum explicabit diebus Martis et Jovis hor. VIII—IX et diebus Mercurii et Veneris hor. III—IV.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, Dr. P. P. O. h. t. RECTOR et DECANUS.

I. Exercitationes geometricas moderabitur, praemissa introductione de studiis mathematicis recte ordinandis, diebus Lunae et Jovis hora XI — XII.

II. Theoriam Tubi meridiani transport. secundum Besselii Commentationem. Ueber den allgemeinen Gebrauch des Passageninstrumentes &c. diebus Martis et Veneris, hora II—III explicabit.

III. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Martis et Veneris hora XI — XII.

IV. Climatologiam docebit, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Lunae et Mercurii hora II — III.

CAR. BIESTER, P. P. O. Des.

I. Thucydidem de bello Peloponnesiaco interpretabitur dd. Lunae et Jovis h. X—XI.

II. Sophoclis Ajacem, diebus Martis et Veneris h. X—XI.

III. Taciti historias l. II. tractabit diebus Martis, Mercurii et Jovis hora II — III.

MAX. TRÜTSCHEL, Dr. P. P. E.

I. Metaphysicam docebit quinquies per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris hora matut. VII —IX.

II. Logicam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora vespertina V — VI.

III. Aristotelis libros de anima offert interpretandos bis per hebdomadem horis definiendis.

IV. Exercitationes repetitorias et examinatorias proponet die Saturni hora matutina VIII—IX.

CAR. CORNELIUS.

I. Historiam Germaniae docebit ter per hebdomadem.

II. De antiqua Poesi germanica disseret semel per hebdomadem.

III. Hartmanni carmen epicum Iwein interpretabitur bis per hebdomadem.

ORDO LECTIONUM CHRONOLOGICUS.

I. LECTIONES ANTEMERIDIANAE.

HORA.	LECTIONES THEOLOGICAE.	LECTIONES PHILOSOPHICAE.
VIII — IX	Evangelium S. Joannis, Dr. BITTNER 3.	Metaphysica, Dr. TRÜTSCHEL 3.
	Obadiae, Jonae et Michae vaticinia, Lic. KRÜGER 1.	Exercitationes repetit. et examinat., Dr. TRÜTSCHEL 1.
	Evangelium S. Marci cum reliq. evangel. synopt. collat. Lic. KRÜGER 2.	
IX — X	Jus canonicum, Dr. EICHHORN 6.	
X — XI	Doctrina christiana de creat., Dr. SCHWANN 3.	Sophoclis Ajax, BIESTER 2.
	De SS. sacramentis, Dr. SCHWANN 1.	
	Exercitationes repetit., Dr. SCHWANN 1.	
	De antiquitatib. Hebraeor. Sacr., Lic. KRÜGER 3.	
XI — XII	Theologia moralis, Dr. BITTNER 4.	Exercitationes geometr. praemissa introduct. de studiis mathematicis, Dr. FELDT 2.
	Evangel. S. Joannis, Dr. BITTNER 1.	Chronologia et de Calendario Julian. et Gregoriano, Dr. FELDT 2.
		Thucydides de bello Peloponnes., BIESTER 2.

II. LECTIONES POMERIDIANAE.

HORA.	LECTIONES THEOLOGICAE.	LECTIONES PHILOSOPHICAE.
II — III		Theoria tubi meridiani transport. Dr. FELDT 2.
		Climatologia et usus instr. meteorologic., Dr. FELDT 2.
		Taciti historiae, BIESTER 3.
III — IV.	Historia ecclesiastica, Dr. EICHHORN 3.	
	Evangelium S. Marci etc., Lic. KRÜGER 2.	
V — VI		Logica, Dr. TRÜTSCHEL 4.
VI — VII	De Deo et divinis attributis, Dr. SCHWANN 3.	
adhuc definienda,		Aristotelis libr. de anima, Dr. TRÜTSCHEL.
		Historia Germaniae, CORNELIUS.
		De antiqua poesi germanica, CORNELIUS.
		Hartmanni carmen epicum Iwein, CORNELIUS.